



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

IV. De episcopis rebus suis expoliatis, aut a sede pulsus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

a sanctis patribus tam in Nicæna Synodo, quam & in hac sede constituta, ponamus, quibus fratres & coepiscopi nostri fulti, insidias inimicorum, auxiliante Domino, valeant euadere, & prout Dominus posse dederit, paucioribus verbis tantorum malorum imitemur compendium, & strictim, quæ in volumine literarum vestrarum comperimus, retractemus, & alia nonnulla instantis temporis necessaria, prout petitis, ponamus.

I.

Est namque synodicis decretum institutis, vt nemo episcopum penes sæculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

II.

Si quis aduersus episcopum causam habuerit, non prius aliosepiscoposadeat, vt eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querelam, & ab eo aut iustam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum: & si non hos audierit, dic ecclesie*, id est, accusa eum publice, & non prius. & reliqua.

*Math. 18.
Luc. 17.*

III.

Si quis episcopum post hæc elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam, & non sæcularibus, qui magis ad pacem quam ad iudicium eos reuocent, vt caritas in omnibus & ab omnibus custodiat. Si primates accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum canonicè conuocatam, non infra angusta tempora, canonicè conuocent, & non prius quam eis per scripta significant quid eis opponitur, vt ad responfionem præparati adueniant. Nam si aut vi, aut timore eiekti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè euocari ad Synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequam canonicè restituantur, & sua eis omnia legaliter reddantur.

*5. q. 2. Si
primates ac-
cusatorum.*

IV.

Si quis episcoporum fuerit suis rebus expoliatus, aut a sua ecclesia vi aut timore expulsus, quod omni Christia-

Concil. Tom. 3.

li ij

no nomini est inimicum, oportet & decet * episcopo-
rum propositum semper prima fronte cedere, vt omnia
quæ ei ablata sunt, potestati eius legaliter reddantur, &
præful prius restituatur, & postea non statim, sed diu &
per spatiosa tempora suis potestatiue dispositis, & ad
suam necessitatem præparatis, ad tempus veniat ad cau-
sam; & si iuste visum fuerit, accusatoribus respondeat
suis.

V.

Nulli infami atque sacrilego de quocumque liceat
negotio aduersus religiosum Christianum, quamuis hu-
milis seruilisque persona sit, testimonium dicere, nec
de qualibet re, actione, aut inscriptione Christianum im-
petere.

VI.

Si quis episcopus legitime accusatus, & supradicto
ordine ad Concilium canonicè conuocatus fuerit, absque
vlla trepidatione ire debet; & si ire non potuerit, pro se
legatum ad Synodum mittat.

VII.

Nullæ causæ a iudicibus ecclesiasticis audiantur, quæ
legibus non continentur, vel quæ prohibita esse no-
scentur.

VIII.

Si quis aliter non acquieuerit, nisi vt episcopum ac-
cuset, supra taxato hoc tenore agere debet, quia aliter
rata non potest accusatio existere. Tunc primo accusati
causam accusator apud primates canonicè deferat. Nec
a communione prohibeatur accusatus, nisi ad electorum
iudicium canonicè conuocatus, infra tres aut sex vel plu-
res menses pro suis rationem redditurus venire distulerit.
Quod si probare potuerit, quod non noluerit, sed non
potuerit venire, nihil ei nocebit. Ille vero, qui vi aut ti-
more a sede pulsus, aut suis rebus expoliatus fuerit, non
prius vocetur ad Synodum, quam ei omnia legibus red-
integrentur. Et tam diu in sede propria pacifice & pro-
testatiue cuncta disponens resideat, quamdiu expulsus
vel expoliatus carere visus est rebus. Cum autem ad iu-
dicium venerit, si voluerit & necesse fuerit, induciæ ei
petenti a patribus constitutæ, absque impedimento con-

1. q. 2. Tam
diu in sede.
Et in dec.
Iuo. lib. 43.
q. 3.
Cum accu-
satus ad.
Et in dec.
Iuo. lib. 4.

* Episco-
pocum
proposi-
tum sem-
per prima
fronte
solicitem
esse.
* In dicit
proposi-
tum re-
perimus
frontem
cedere.
Et idem
habere
in dec.
Iuo. lib.
43.